

EXERCITATIO
THEOLOGICA,

DE QUÆSTIONE ILLA,

An Vera Pastorum Vocatio fuerit ab initio
Reformationis, & etiamnum sit in Ecclesiis nostris.

Q V A M

Divinà favente clementiâ

SUB PRÆSIDIO.

Admodum Reverendi Clarissimi ac Celeberrimi Viri,

D. CHRISTIANI SCHOTANI S. S.
Theologiæ, nec non Ecclesiasticæ Historiæ Profes-
soris, in illustri Academiâ Franequeranâ, eximii; Præ-
ceptoris mei æviternâ memoriâ colendi.

publico examini subicit.

JOHANNES AUDZIEIEWICIUS LITVANUS

Autor & Respondens.



FRANEKERÆ.

Excudebat IDZARDUS ALBERTI, Ty-
pographus in Academiâ Franekeranâ, Anno 1648.

ILLVSTRISSIMIS, ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, AC GENEROSIS DOMINIS.

NEC NON

ADMODUM REVERENDIS, NOBILISSIMIS VIRIS, Utriusque ordinis Ecclesiastici ac Politici,
in hac Sancta Synodo Vilnensi congregatis, Dominis ac Patronis nostris munificentissimis.

ECce iterum post recentium spicularum manipulum, tenelli ingenii mei foetum, ceu tertias frugum mearum primitias ex lege vobis repraesento Evergetæ colendissimi. Nec enim mihi fas fuit post trienniū decursum, quo, munifica in iis quæ semper amaveram literarum studiis augendis eluxit liberalitas, in conspectu vestro vacuis manibus apparere. Quid quæritis? num quæ arida terra est aquis exundabit, & quæ sterilis frugum ubertate letabitur? fateor, & propterea jactor variè fluctibus, modo spe, modo metu, in unâ tamen cogitatione videtur animus meus consistere & quietem aliquam capere cum quasi secum loquitur ac commemorat illustre illud pectus, plenum pietatis, plenum amoris in Deum **D. MARTINUM SZWAB.** Virum inter præcipua seculi sui ornamenta ob ingentia in Ecclesiam Dei merita, memoriâ colendum sempiternâ. Hic siquidem cum vehementem amoris vim in gloriam Dei non esset passus angustiis arctari limitibus, redundantiâ quadam in plures exitus erupisse fluxisseque magno impetu in flumina beneficentiæ Ecclesia Dei est experta, cui ad æternam rei memoriam liberalissimæ ejus obvenerunt facultates. Ex quibus ego quoque cultui divino mancipatus, insigni liberalitate conspicuos, transmittendo inter studia tempus hoc triennale, decerpseram fructus, quos devotâ, pectus meum mente agnoscens, immortalitatem beneficii æternis officiis prosequendam, iniqua oblivionis nubes nunquam obscurabit. Quicquid igitur demissi cultus ac obsequii erga immortalitate illud dignissimum nomen à me debitum fuit, illius conamen eâ quâ par est submissione vobis offero ac consecro, munusculum oppidò perexiguum, argumentum observantiæ in vos meæ, grati vero animi non omnino quale velim, sed quale possum hoc tempore monumentum. Custodiat interea vos quam diutissimè **CUSTOS ISRAELIS**, incolumes, & defendat, qui turbulentiſſimo hoc tempore, Ecclesiæ suæ voluit vos esse speculatores ac dispensatores, vosque in omnibus viis suis Dominus Dominantium feliciter antecedit. Ita volebat. Franekeræ in Belgio, Anno temporis ultimi 1648.

Omnium vestrum devotissimus Clientis

JOHANNES AUDZIEVICIUS
Litv. Autor. & Respondens.



95245

9880

№ 275 300-10



EXERCITATIO
THEOLOGICA,

De Legitimâ ac ordinariâ Pastorum in Ecclesiâ
Reformatâ vocatione.

Nihil magis familiare Romano-Catholicis hoc tempore, quam fluidâ ac languidâ illa questione: *QUI ESTIS ET UNDE VENISTIS*, adoriri eos, qui vel eo nomine sunt odiosi, quod Prophetas & Apostolos habeant, post Christum, fidei magistros & duces, & ab adversis Pontificis iudiciis provocent ad eorum tribunal. Hinc videas nonnullos, ad causâ nostrâ subversionem istâ methodo ad eò indelectari (primi enim Reformatorum antagonista Eccius, Cochleus, Emserus, Roffensis, Colonenses, Lovanienses, qui aureo hoc compendio posthabito, majori animo, quam successu, ipsos articulos de puncto ad punctum, cominûs ac directè oppugnabant, excipiuntur) ut solâ hâc armati, sine scripturis, sine patribus (ut non nemo loquitur) sine rationibus exquisitis causam nostram subvertere videantur, & inermes de armatis tanta facilitate triumphare possint docti & indocti: quod quam sit veritati consentaneum, judicent illi qui origines successionesque Ecclesiarum, Episcoporum, statutorum de doctrinâ disciplinâ, rituum per tot secula usque ad hoc tempus evoluerunt ac scrutari laboriosissimè consueverunt: nos cum videamus & quotidie experiamur, præcipuum quoddam refugium, in exceptionibus quibusdam contra vocationem ordinariam Pastorum in Ecclesiâ reformatâ, positum esse, non virium nostrarum fiducia; sed amore præstantissima veritatis freti, quam fieri poterit brevissimè ventilare eas in animum induximus, ut appareat nos deserendo Romanam curiam, non recessisse à verâ, antiquâ, & Catholica fide atque Ecclesiâ, cum quâ unum habemus Deum, unum Mediatorem, unam fidem, unam vocationem, unam hereditatem, unum Evangelium, unum ministerium. De quo impræsentiârum sit.



Uæstio hæc: *An ordinaria Pastorum vocatio fuerit ab initio reformationis, & etiamnum sit in Ecclesiis nostris?* ut eò distinctiùs intelligi possit, in limine removenda est quarundam vocum ambigua significatio, quã posthabita, in statu controversiæ constituendo mirificè fluctuant Romano-Catholici, qui ob veritatem emicantem velut furoris æstro huc illuc impulsî, jam de vocatione & ordinatione ministrorum quæstionem movent; jam de opere reformationis, jam de Reformatorum officio ac ministerio: nos evitantes confusionem terminorum. I. Vocationis Pastorum. II. Reformationis Ecclesiæ significationes quasdam (in quas non semel atque iterum, sed sæpiùs, majore cum strepitu, minore verò cum charitate impingitur:) enucleabimus. Ac primum ut de Vocatione ministrorum Dei aliquid dicamus, notius est, quam ut multis debeat exponi; Deum Opr: Max: duobus modis ad verbi prædicationem servos suos vocare & mittere; immediatè seù extraordinariè, & mediatè seù ordinariè. Illo modo, vel simpliciter absque hominum ministerio sine internuncio vocationem perficit, qualiter vocavit Moysen, Johannem Baptistam (qui licet ut sacerdos ordinariam habuit vocationem, ut tamen præcursor erat Christi & Propheta, extraordinariè à Deo missus erat, licet nullum ediderit signum) Apostolos qui missi fuerunt à Deo, ut orbem à defectione in veram Dei obedientiam reducerent, confirmando doctrinam variis miraculis, id quod fecerunt; Mar. 16. 20. Rom. 15. 19. vel per internuncios quosdam declarat, qualiter per Moysen vocavit Aaronem, Eliæum per Eliam, Timotheum, Titum & similes, per Apostolos. Mediatè verò vocat Deus servos suos per vocem Ecclesiæ & eorum, qui ordinariis mediis ab Ecclesiâ & in Ecclesiâ sunt constituti. Est autem hæc vocatio vel incorrupta, vel corrupta. Illa est, quando essentia & ratio vocationis Ecclesiasticæ salva & integra manet. Hæc, quando essentia & ratio vocationis Ecclesiasticæ, non planè sublata est (nam tum nulla omninò est vocatio) sed tamen adhærente corruptione & mutilatione est contaminata, idque per malam consuetudinem quæ in Ecclesiâ irrepfit, malum permiscens bono, vile pretioso, humano divino. Ex duo distinctè in tali vocatione considerari debent, id quod est à Christo ejusque institutione, & ab Ecclesiâ Christianâ quã tali; & id quod est à vitio hominum: non secus atque aqua è puro fonte per rubum impurum manans, quod aqua vera est, habet à fonte, quod impura à tubo. Applicemus hoc ad nostros Reformatores, & videbimus eos legitimè ordinariam vocationem habuisse. Etsi enim illi, per Sacerdotium Ecclesiæ Pontificiæ fuerunt vocati, non tamen per id vocati fuerunt, in quantum vitio & corruptioni obnoxium erat, quia in vocatione suâ audiverunt se oportere prædicare Evangelium; hoc bonum erat & singulari Dei providentiâ in ordinatione consecratum; accesserunt ceremoniæ humanæ superstitiosæ & inutiles; prætere

terea obligatio ad doctrinam, sacrficationem & obedientiam Pontificis, hoc vile erat. Verum sub hoc vili latebat pretiosum, quod postquam illi secreverunt, retinuerunt pretiosum ex sensu Christi & Ecclesie Catholicae in qua factio pontificia grassabatur. Hic igitur cave, confundas, Vocationem ad ministerium, cum ministerii Functione, & Missionem Pastorum, cum Opere eorum. Vocatio Reformatorum in se & specificè fuit ordinaria, ut statim probabimus. Exercitium autem potestatis seu ministerii ipsorum potest dici aliquatenus extraordinarium, quatenus illud opus emendationis Ecclesiasticae, & extraordinarium successu, zelo, labore, fortitudine, erat peragendum, & totum illud opus irreformabilium intentioni repugnabat, quamvis optimè cum institutione Christi, cum ipso ordine ministerii, cum voto & intentione Ecclesiae (in qua verbum Dei pretiosum erat, nec visio manifesta) conveniebat. Plurimum igitur hæc inter se differunt, esse vocatum extraordinariè, sicut Prophetæ & Apostoli, quomodo Reformatores non fuerunt vocati: Nisi fortè in hoc adjuncto ministerii conveniunt, quod utriusque magnam contradictionem ab ordinariis passî, non destiterunt tamen ab errore ad veritatem, & salutem revocare. Illi quidem testificatione ex verbo Dei cum miraculis, propter extraordinarium munus suum: Hi verò absque miraculis. Eandem quippe doctrinam Apostolicam miraculis jam satis confirmatam, tradiderunt) & esse aliquid singulare & præter communem sortem aliorum ministrorum in alicujus munere, ejusque functione. Hoc enim in mediata vocato esse potest, idque de primis Reformatorebus affirmatur.

POSITIO II.

Sed ne quis iterum confundere velit, Vocationem cum Reformatione, hoc est restitutione doctrinae corruptæ & instauratione collapsæ disciplinae; animadvertas quæso, nos hic non agere potissimum, de Reformatione illâ quæ incipitur & suscipitur quidem, sed violentiâ nec non malitiâ eorum, qui veritatem in tenebris detinent, sistitur, adeo ut saltem publica non fiat, aut publicè saltem non perumpat, qualis reformatio fuit ante Lutheri tempora, frequens ac multiplex in Ecclesiis Occidentis. Nec acturi sumus de privata aliquâ emendatione, quæ fieri solet consiliis, monitis, obtestationibus, conscientia suæ & nominis divini gloriae consulendo pro modulo gratiæ à Deo acceptæ, detegendo veritatem apud hominum conscientiam, eosque instruendo de necessitate emendationis, cum in vitâ privatâ tum etiam in publico cultu, quomodo Athenagoras, Minutius Felix, & alii plurimi (referente Clariss: Voetio in Philonio Romano) fidei veritatem contra hereticos & schismaticos asseruerunt, quamvis nulla missionis suæ diplomata haberent in Ecclesiâ. Quid igitur? Intelligimus hoc loco Reformationem publicam, publicâ & sufficiente autoritate peractam, tollendo abusum à publico cultu, ejusque modum & faciem immutando, & restituendo in

melius ea quæ corrupta fuerunt, cuius generis reformatio fuit annō 1517, cæpta in Germaniâ & Helvetiâ, & mox in plerisque Ecclesiis Occidentis ut in Galliâ, Angliâ, Daniâ, Suetiâ, Belgio, &c. In quâ duæ causæ sunt considerandæ, Prima & Secunda. Prima est Deus Opt: Max: qui ad reformationis cursum medio ordinario ac perpetuo verbi sui oculos Reformato-ribus aperuit, ad conversionem adduxit, & conversis confirmationem fratrum imposuit. Secunda, sunt ii ipsi Reformatores qui secundum jus divinum ac praxin Ecclesiarum quæ unquam ex infidelitate primum vindicatæ, aut à corruptione denuo sive instauratæ sive præservatæ fuerunt, pristinæ ac primitivæ integritati Ecclesias (quæ ad Christum & Euangelium, ut tribus ac civitates ad Davidem ex rebellionem Absalom. 2. Sam. 19. 10. 11. redierunt) restituerunt, acceptâ potestate reformandi ex primâ institutione, & formula juris divini ex generali intentione Ecclesiæ Catholicæ seu Christianissimæ, quæ mensura est ad quam commissio omnis & missio Ecclesiastica instituenda, accepranda, interpretanda, quicquid sit de mente aut particulari intentione alicujus ordinatoris Episcopi, qui si alicujus conscientiæ fuerat, nunquam aliter ordinasse putandus est, quam Trajanus, qui præfecto prætorii tradens gladium, dixit: hoc utere pro me, aut contra me.

POSITIO III.

Præcognitis ita positis, Affirmativam constituimus thesin, scil. Ordinarium vocationem Pastorum fuisse ab initio reformationis, & etiamnum esse in Ecclesiis nostris, quam evincunt sequentia argumenta. I. Qui legitimum ministerium prædicandi, pastorale atque Episcopale, sunt consecuti, veram illi & ordinariam vocationem habere debent. Hæc sit major, quæ certissima est, & utrinque ni fallor in confesso. Sed nostri Reformatores ab Ecclesiâ Romanâ ministerium saltem sacerdotale & prædicandi consecuti sunt, imo & pastorale atque Episcopale farentibus tribus non incelebribus Jesuitis. Puta Bellarmino. Lib. 1. de Clericis c. 3. cujus hæc sunt verba: *Lutherum ac Zwinglium (de Calvino quod addit manifestæ veritati contradicit) fuisse Presbyteros. Suffragatur ei Costerus in Enchiridio præfat. de Moribus hæreticorum. Nulli hæretici (inquit) ad sua dogmata nova populo proponenda legitime missi sunt: quanquam enim plerique eorum Episcopi, Presbyteri, ac Doctores, ex ordine munus ac officium docendi acceperant, nulli tamen facultas data est, nova decreta fabricandi. Audiamus Becanum præterea, in manuali Contraversi. Lib. 1. c. 12. n. 39. Ego sic statuo: Primo Lutherum ordinariè ac legitime vocatum fuisse ad ministerium Ecclesiasticum in Ecclesiâ Catholicâ. Ecce habemus tributum, quod potentissimæ veritati debetur, ideoque liberalem hanc confessionem eorum ambabus ulnis amplectimur. Quas igitur alii adferunt in contrariam partem, sponte evanescent exceptiones: sed videamus illas. 1. Excep. Etiam si Lutherus ac Zwinglius ad officium pastorale, in Ecclesiâ Romanâ exercendum missionem habebant, sed ex vi talis muneris, actus illos (puta Re-*
formationis

formationis) exercere non poterant: hoc enim perinde esset ac si diceremus. Prore gem
Neapolis. E. g. ex potestate ordinariâ quam à Rege Catholico ad gubernandum illud
regnum accepit, posse antiquas leges rescindere, novas condere, regni fundamenta convul-
lere, deniq; excusso jugo Regi, diademam rapere. Verum n. vero hæc eorum langu-
da exceptio se ipsam obtundit. Si n. habuerunt vocationem, quid tunc præ-
sidii relinquunt in illo quæsito, Quis vos misit? Unde estis, & unde venistis?
Dicimus insuper aliam esse quæstionem, in quis ullam habeat vocationem, &
aliam an quis abutatur vocatione & ministerio suo: abusi sunt juxta principia
Romano-Catholicorum Reformatores jure sibi concessio, non vero carue-
runt, abusus autem præsupponit jus utendi. Itaque jam de abusu illis quæstio
movenda, non de usurpatione. An vero primi Reformatores qui ordinariâ
gaudebant vocatione, abusi fuerint missione, & quid indigni eâ commise-
rint jam disquirendum esset: & ita ad disceptationem de sanâ aut corruptâ
doctrinâ & ad ipsos controversos doctrinæ articulos (ubi crux fixa est no-
stris Catholicis) necessario descendendum esset. Nec similitudo illa (de actu
ipso reformationis infra dicemus) causam eorum juvare potest. Ponamus
enim Regem Hispaniarum, jura, libertates, privilegia, Neapolitanis concessa,
& in quæ juravit, violare, inquisitionem in eos exercere, & omnia facere
quæ detrimentum & perniciem ipsis afferre possint, in eo quidem casu Gu-
bernator Regi poterit se opponere, imò si Senatus populusque Neapolita-
nus (qui jam ut novissimè accepimus, non vult parere Regi Hispanico)
eum defensorem eligat, haud peccabit. Ita Athaliam Jojadah sacerdos,
reliquique Judaici proceres deposuerunt, Joasch vero Regem in ejus locum
unxerunt. 2. Chron. 23. Nihil igitur ad propositum nostrum dissimile hoc
facit simile. Excep. 2. Si potestas mittendi Pastores adhuc fuit in ecclesiâ Romanâ
Ergo nullo prætextu fuit ab eâ recedendum. Verum prius. Ergo & posterius. Sed li-
mitamus Majorem, Ergo non fuit recedendum ab Ecclesiâ, quâ talem ha-
bente & exercente potestatem, neque ab illâ potestate in se. Et sic nihil
contra nos. Non separabant se nostri ab Ecclesiâ, à potestate Ecclesiasticâ,
sed, à factione, à vitio, & abusu potestatis curiæ Papalis, & juratæ factionis
ejus. Distinguo igitur inter Ecclesiam, in quâ regnat Papatus, & ipsum Pa-
patum seu Curiam Romanam. Potestatem illam veram non collocamus
in curiâ Papali, sed in illâ Ecclesiâ in quâ factio pontificia grassatur: quippe
Ecclesia primitiva accepit & exercuit purè potestatem illam per Presbyteros:
Emergente papismo, pure acceptam retinuit, non exercuit purè: Grassante
papismo non amisit potestatem illam datam exercuit impurè, non tenendo
mentem Christi, nec Ecclesiæ Catholicæ. Interea potestas illa manebat penes
ipsam Ecclesiam factioni papæ obnoxiam, non penes factionem papalem,
nisi quo ad externam quandam denominationem: sicut vis sanguifica non
in morbo quocunque epatis, sed ipso epate quod morbo afficitur, residet.
Nos igitur à curiâ Romanâ secedentes, ab Ecclesiâ Catholicâ minimè re-
cessimus. Vicia separarunt & abjecerunt nostri, potestatem ipsam retinue-
runt

runt, puta docendi verbum & dispensandi sacramenta, absolventi & ligandi &c. Hæc sunt velut rosa apparens in solitudine pontificiâ, cujus germina sunt deducta ex horto Ecclesiæ primitivæ. Ad vitium pertinebat, potestas sacrificandi, intentio adstringendi ad sensum papisticum, unctio, rasura & aliæ Ceremoniæ. Ista omnia sunt spinæ, non sunt à Deo, sed ab hominibus. Prius habent nostri, posterius non habent. Num inde non sunt legitime vocati? Absurdum. Defectus traditionum humanarum non corrumpit substantiam rei. Sicut non dicitur florem perdidisse, qui noxias herbas quibus obumbrabatur, removet. Sic vocatione legitimâ non caret, qui vocationis corruptelas ab ipsâ vocatione secernit. Pergamus.

POSITIO IV.

Secundò : pro thesi affirmativâ ita argumentamur. In Reformatorebus nostris Romano-Catholici, aut culpant id quod prædicatione verbi & sacramentis gregem suum paverint, & secundum ea ac per ea, quâ publicè, quâ privatim, populi salutem curaverint; aut quod actionem in papatus errores instituerint, populumque ad verum cultum Dei (hic calceus eos urget) revocaverint. Atqui in neutro dicam culpæ possunt illis scribere. Non in primo, quia ad illud habebant vocationem ordinariam, in & ab Ecclesiâ, præterquam enim quod ex eorum hypothesi (de quâ in præcedenti egimus thesi) necessariò sequitur, clarissimè etiam colligitur ex eo, quod nemo possidentibus controversiam tunc illis movit, quod patet ex Eccio Cochleo, Lovaniensibus; Coloniensibus, qui eo nomine litem ipsis non movebant, contenti doctrinam Ecclesiæ Romanæ ex scripturis tueri. Nec in secundo, quia illud illis duplici jure licebat, I. quâ fidelibus, quâ à quocunque errore (ut testatur Janfenius in spongiâ pag. 149.) redeunt ad veritatem, possunt charitate stimulante imò mandante errantes monere, corripere, consolari, viam Domini imperitis exponere, (quod & Priscilla fecit) ignorantes docere, & impietatem publicè reprimere (quod & Apollus fecit.) II. Quâ Ministris, quorum interest in doctrinâ & moribus, depravata posse corrigere, vocantur enim I. Cor. 4. fideles dispensatores, & iis imperatur ut arguant, obsecrent, imperent, in omni patientiâ & doctrinâ, ut sint speculatores Ez. 3. Hæc omnia potestate & vocatione eorum continentur, quæ semel collata sufficit illis ad potestatis exercitium quacunque occasione, Tit. I. 5. Hujus rei gratiâ reliqui te in Cretâ, ut ea quæ desunt corrigas. Corruunt igitur adversus hoc argumentum prætextæ exceptiones Romano-Catholicorum. I. *Non licuit Reformatorebus reclamante ordinario ministerio, absque missione, in ordinarium ministerium insurgere, illudque erroris redarguere.* Sed in tali corruptionis casu ad sui correctionem, ad veritatis suppressæ liberationem, an commissio, decreta, mandata Synodica, capitularia, episcopalia, bulla, rescripta, & similes formalitates ad progressum canonicum pertinentes erant expectanda. Ergo ut audio, primi Refor-

Reformatores, antequam opus reformationis aggredierentur, Romam iredebuissent, & rogare Pontificem, an placeret ejus Majestati leges aliquas de Reformatione ferre, hoc est semet ipsum deponere. Ponamus casum de moribus. An conversio & emendatio omnis illegitima? An ergo mandandum in peccatis? Annon exurgendum nisi volentibus & jubentibus praelatis, quibus stertentibus vult Deus conscientia & saluti suorum, idque propter rectam fidem & corruptionis emendationem, providere Mal. 2. vers. 8. Joel. 6. vers. 13. 14. Et quomodo quaeso ab eodem fonte reformatio aliqua expectari debeat, unde omnis corruptio? certe in casu proculcationis legum, atque omnis ordinis, ordo consuetus expectari vix potest, ob malitiam eorum qui, inter alios, Judices in propria causa sedentes veritatem quovis modo in injustitia detinent. At inquires: Non privato ausu, nec privatis potuit competere jus reformandi, sed expectandus fuisset consensus totius Ecclesiae, sive in Concilio, sive extra Concilium. At inquam ego; non privato alicujus judicio coeptam esse Reformationem sed Archiepiscoporum, Episcoporum, Pastorum, Presbyterorum, Principum, Magistratum, quorum omnium catalogum vide apud Cl. Voetium in Delp. **Causa l. 2. S. 1. c. 1.** Nunquam usquam aliquis Reformator solus publicam publici cultus & corporis Ecclesiastici mutationem peregit, & notum est quomodo Pontifices horrent Reformationem & Concilia, tanquam media Reformationis ordinaria, dum omnem provocationem a se ad Concilia proscribant quotannis per bullam de Coena Domini. Omnium bonorum votis, clamoribus, Concilium aliquod legitimum flagitabatur, a Carolo V. praesertim & Ferdinando Caesaribus, utrisque ad Reformationem Ecclesiae & tollendos abusus in ea ingenue operam suam conferentibus: sed legitima Concilia haberi non poterant, impredientibus ea Pontificibus, ut videre est in Concilio Tridentino, in quo variis modis, & quotidianam ac perpetuam sollicitudine pro stabilienda Hierarchia, & abolenda Reformatione, certatum fuit ab Episcopis, potissimum Italis, qui & numero suffragiorum omnes reliquos facile vincebant, & quos tanquam subsidarios, laborantibus suis submittebat, Paulus III. Pontifex, quippe tutum Potentiae suae munimentum, quod a Germanis & aliis Episcopis & Theologis sibi metueret, ne cum de morum emendatione ageretur, auctoritati Pontificiae detrahi pateretur, ut ingenue fatetur Thuanus. Lib. 8. *De privatis affectibus* (inquit ille) *solicitus erat Pontifex, ad caetera securus.* Quid quod illa exceptio Patribus Orthodoxis, Hilario, Arhanasio, & reliquis applicari nequit. Illi enim consensum universalem & decisionem Orientis & Occidentis, speciatim Pontificis Romani minimè expectarunt, contra haereses Arianorum, Pelagianorum: sed quisque pro se corruptionem, quam deprehendisse se putabat, emendabat. Ipsa Ecclesia Romana quotiescunque occasio tulit, omnium Ecclesiarum totius orbis, imò ne Occidentis quidem, consensum non expectavit, imo exclusit aliquando, aut praevertit, cujus

exemplum illustre est in Concilio Romano sub Bonifacio, qui primus Episcoporum Episcopum se appellavit. Excep: 2. *Hoc modo ataxia in regnum Christi invehitur, si sine missionis testimonii potestatem reformandi licebit usurpare. Vos enim qui estis? unde venistis? quæ sunt missionis vestræ testimonia?* Quis non mysticæ huic interrogationi aliquid tribuendum esse statuat, & tamen nihil est nisi regularis & communis vox omnium irregularium, quoties reprehenduntur. Ita Judæi Christo, in templo docenti, objiciunt. *Math. 21. v. 21. Quâ potestate hoc facis, & quis tibi dedit hanc potestatem.* Ita Sacerdotes in Apostolos insurgent, quâ potestate, aut nomine hoc fecistis *Act. 4. v. 7.* Nobis illam sophisticam apagogen facile erit refutare verbis Christi. *Joh. 8. Si veritatem vobis dico, cur non creditis mihi. Quicumque ex Deo est, verba Dei audit.* Et ad illa, Missionis testimonia regetere. Vocationis & commissionis ordinariæ testimonia primos Reformatores habuisse in confesso est: sed missione ad hoc, quod fecerunt, speciali aut vocatione novâ aut testimonii ipsi opus fuisse, nego; quia sufficit commissio ordinaria in Ecclesiâ corruptâ ad obligandum Pastorem, ut debite fungatur officio, & reformet corruptelas doctrinæ ac morum utur inveteratas, ac longa consuetudine peccantiumque numero vim legis obtinentes, quod evidenter patet, in exemplis sacerdotum & doctorum in Israel & Juda, religione miserum in modum per ordinarios religionis antistites & prædecessores contaminatâ. Non enim dicent Romano-Catholici eos sacerdotes qui tunc veritatem viderant, debuisse in injustitiâ eam detinere propter inconditos summi Concilii clamores. *Vos qui estis, unde venistis, ubi sunt diplomata missionis vestræ ad reformandum?* Adde quod Cathedræ ex primâ suâ institutione & successione ad veritatem docendam sunt destinatæ, quamvis illi qui tunc occupant cathedras in contrarium abutantur. *Mat. 2. vers. 7. 8. Math. 23. vers. 23. c. 16. vers. 6.* Si quis igitur Pastor ad primam & genuinam institutionem tanquam ad primum principium revocetur, quidni revertatur, ut Deo volenti pareat; non enim egerant primi Reformatores aliquid præter ordinem à Deo institutum, quamvis præter & contra ordinem tunc receptum; neque novam doctrinam, sed antiquam illam & tot miraculis à Christo confirmatam, proposuerunt. Interea dum Romano-Catholici non videntes manticæ quod in tergo est eorum, nobis tam frigidè insultent, secum habent, & inquirent; quomodo divina & legitima erit electio Pontificum à Cardinalibus facta, Cardinalium vocatio, si divina antiqua Catholica probari non possit? Quomodo stabit legitima missio & successio Pontificum, quorum multi operâ & electione Imperatorum ad sedem pervenerunt; ut nihil dicam de aliis quibus præsidentibus, quæ, qualis, quanta erat facies Ecclesiæ Romanæ, cognoscere possumus ex Bæronio. Tom. 10. annal. ad an. 912. a. 8. Videat qui volet; Ego manum & chartam ob prolixitatem dicti non delassabo.

POSITIO V.

Et tale quidem est alterum argumentum. Ut autem ulterius probemus, primorum Reformatorum ordinariū fuisse vocationem, tertiā hac compendiosā probatione utemur. Quicumque admiserunt ab initio & etiamnum admittunt baptismum à nostris ministratum, illi vel inviti aliquam eorum vocationem fatentur. Atqui Romano-Catholici admiserunt ab initio, & etiamnum admittunt baptismum à nostris ministratum. E. Minor probatione non eget. Aut enim baptismus noster est validus, aut non est. Si est, ergo habemus potestatem baptizandi, ergo vocati ad baptizandum. Si non est, cur non baptizant à nobis baptizatos. Major autem est verissima, siquidem Hieronymi ratiocinatio contra Luciferianos procedat. *Quamobrem (inquit) oro te ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas cujus baptisma probas, aut reprobes ejus baptisma quem non existimas esse sacerdotem.* Jure enim asserimus. Baptismum, ab iis qui vocatione carent ministratum, esse nullum, omnesque qui tale quid audent, alienumque munus usurpant, quocumque id fiat prætextu, merito damnamus. Nemo potest sigillum apponere, nisi sit sigilli custos; nemo custos, nisi vocatus. Hæc si bene notentur, citra pulveris iactum evanescent hæ exceptiones, quia ruinoso nituntur fundamento. I. *Reformatores post defectionem ceperunt impugnare Ecclesiam Catholicam, quam antea publice erant professi. At talis potestas non fuit illis data ab Episcopo, à quo fuerunt ordinati. Si quidem Episcopus ordinans & instituens Zuinglium Pastorem Tigurinum, non intendit ei conferre potestatem docendi, baptizandi, & regendi populum suum, nisi juxta Romanæ Ecclesiæ fidem.* R. Gratis dicitur impugnasse primos Reformatores Ecclesiam Catholicam, non defecerunt ab eā, manserunt usque ad obitum. Qui à Pontificiā deficit, non mox censetur defecisse à Catholicā fide, & Ecclesiā, ejusque Magistro & capite Christo; & consequenter culpa defectionis non debet conferri in eos qui desertores deserunt, sed in ipsos desertores, qui prius antiquam fidem & Ecclesiam in tam multis deseruerant, sicut boni cives aut milites, à præfecto aliquo recedentes, qui à Principe suo aut Republicā recessit, non vituperio, sed laude digni sunt, omnisque tantæ separationis culpa in isto, non in illis hæret. Nec respicimus (ut ulterius pergā & evolūam exceptionem) hic rigorosè intentionem Episcopi qui ordinat, sed ordinationis modum, in quo quædam sunt communia toti Christianismo, & Ecclesiæ Catholicæ, ut prædicare Evangelium, absolvere confitentes, docere Catechismum; quædam propria sunt factioni Romanæ, ut obligatio ad doctrinam, sacificationem & obedientiam Papæ; illud retinuerunt, hoc omiserunt, ex sensu Christi & Ecclesiæ Catholicæ. Quemadmodum igitur in administratione baptismi retinent quædam Romano-Catholici quod retinet & semper observavit Christianismus: Baptizant enim in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: multas vero ceremonias admiscunt, quas neque instituit Christus, neque agnovit Ecclesia Catholica, quia tamen fundamentum utcumque retinent,

etiam si forte Presbyter eâ ratione baptizavit infantem, ut amplecteretur doctrinam Papanam, statuimus eum rebaptizandum non esse: Ita quoque in modo hoc quo ordinant Presbyteros aut Pastores, est quod aliquatenus sapiat Christianissimum. & Ecclesiam Catholicam, quantillum verò hoc fit, statuimus hæcenus sufficere, ut ille cui hoc concessum est, possit secundum ordinariam & legitimam vocationem, Ecclesiam reformare & repurgare. *Except. 2. At modus hic est contrarius planè ordinariæ jurisdictioni.* Resp. Minimè, imo potius inest ordinariæ jurisdictioni, & vi illius potest quis abusus qui solent exerceri ab illis, in usu ordinariæ jurisdictionis corrigere & purgare. Illustrabo simili; eligitur quispiam in deputatum alicujus iudicii tribunalis, in quo fugatâ justitiâ, pecunia dominatur, eligitur autem secundum formulam receptam, juratque se justitiam administraturum, imo ob vitium seculi nihil contra Collegas suos tentaturum; stimulante interea conscientia studet exterminare pro virili è judicio fædas illas largitionis sordes, quare monet, arguit & precatur Collegas, ut in iudicio justitiam exercent. Dicit jam mihi, an non sufficiat huic deputato ad molendam reformationem hic modus vocationis, quo juravit se justitiam administraturum, applica hoc ad Reformatores & fateberis imperatum fuisse primis Reformatibus in sua ordinatione, ut veritatem & puram doctrinam enunciarent, ratione cujus injunctæ sibi promulgationis veritatis, potuere concionari & clamare contra sedem Romanam, quia veritatem per omnia purè prædicare non potuere, quin contradicerent Pontifici, æquè ac justus iudex non potest justitiam administrare, nisi contradicat collegis, qui jura venalia habent. At inquires: A quo igitur data potestas erat Reformatibus contradicendi dogmatibus Pontificis? Resp. Non quidem ab Episcopo & Prælato si totalem eorum mentem spectes, data tamen per Episcopum à Deo cui stipulatus erat Evangelium prædicare Catholicè, idque debebat præstare; quod autem ille volebat eos prædicare juxta sensum Pontificium, id errori & vitio deputandum, ideoque non tenebatur præstare. Episcopus est inferior & particularis ordinator, Christus est summus & universalis, à quo pendet vocationis in Ecclesia ratio: ideoque debet hic valere si uspiam regula illa Scripturæ. Act. 4. 19. *An justum est in conspectu Dei vobis potius auscultare, quam Deo, judicare, Et Act. 5. 29. Obedire oportet Deo potius, quam hominibus.*

POSITIO VI.

Sequerentur ex ordine argumenta Romano-Catholicorum, adversus thesin propositam, sed ut breves simus (decrevimus enim ab initio chartæ parcere) imprimis cum hoc satis superque prætitum sit à Clarissimis Theologis nostris, suffecerit ex illis indicasse hos fontes solutionum. I. Distinguenda est in vocatione Reformatum Actio Dei, qui in Christo magno Pastore & Capite Ecclesiæ, mittit servos suos, à quo sola est vocatio interna, Deinde Actio Ecclesiæ suboperantis & cooperantis instrumeta-

mentaliter, à quâ mediâte est vocatio externa. Tum actio curiæ Papat-
lis, seu Papismi, à quo profluxit vitium vocationis, cujus tamen vis ini-
qua non potuit abolere aut irritam facere vim ac veritatem vocationis &
institutionis divinæ, in Ecclesia: Nam quod bonum & essenziale erat in
ipsorum vocatione ordinariâ, ex intentione Christi, ex institutione Ecclesiæ
Catholicæ, id eorum remansit: quod vile erat ex consuetudine & inten-
tione eorum qui cathedram tunc tenebant, tanquam vitium resectum est;
quæ resectio essentiam & bonitatem vocationis corrumpere aut tollere
non poterat. Vitium separarunt & abjecerunt nostri, potestatem ac voca-
tionem ipsam retinuerunt. II. Non sunt confundenda, Vocatio ad Mi-
nisterium, cum usu seu Exercitio Ministerii. Illa est & debet esse forma-
liter ordinaria, quia ministerium illud, nec objectivè, seu in se & formâ
suâ novum erat, ut Presbyterium, Episcopatus; nec subjectivè hoc est prout
erat in Luthero, Zuinglio, Hermanno Archiepiscopo Colonienfi: Presby-
terium enim Episcopatus Præpositura erat in illis ut in aliis, & prout partim
divino, partim humano & canonico jure debebat esse. Exercitium autem
Ministerii extraordinarium quodam modo factum est, hoc est insolitum
ex hypothesi consuetæ corruptionis, quasi ordinis cujusdam tunc dominantis,
ut supra diximus: qui tamen modus specificam ministerii non fecit diffe-
rentiam (neque enim instaurata & emendata gubernatio Politicæ, per ac-
cidens aliquod corruptionis, aut turbationis, aliam facit Politicam) sed est
affectio & proprius Ministerii actus, quomodo Eclipsis est proprium
lunæ, non absolutum perpetuum, & à causâ internâ promanans, ut risi-
bilitas est proprium hominis; sed Hypotheticum & à causâ externâ de-
pendens: ut naturale & necessarium sit lunæ pati eclipsin, positâ scilicet
interpositione terræ inter solem & lunam: Sic Christiani, quâ talis, est
se emendare, sicubi in curriculo pietatis error doctrinæ aut morum inci-
derit; & Ministri quâ talis, est Ministerium suum vi vocationis ordinariæ,
& Ecclesiam sibi commissam reformare, errantes revocare, officium
fidelis Ministri exequi, attendendo sibi & gregi suo. Et cum ita agit non re-
cedit ab ordinario vocationis suæ officio, sed potius ad illud accedit quam-
vis multum recedat ab ordinariâ reliquorum praxi. Summa: Potest aliquis
ordinariè vocatus in Ministerii sui cursu à docendi modo usitato recedere,
opus respectu ordinis corrupti extraordinarium suscipere, ut tamen non
mox extraordinariè vocatus dicatur. III. Pastores ordinariè vocatos
etiâ in cursu & exercitio Ministerii sui, insolito & alio à vulgari ac
recepto modo docere ac ministrare incipiant, ac pergant, reclamantibus
reliquis ordinariis, non teneri ad miraculorum exhibitionem, sed ad
emendationis & mutationis suæ probationem ex principiis fidei. Ratio
quia novum, & aliud principium fidei, aliosque novos articulos, aliud & no-
vum fundamentale ministerium, præter illud à Christo institutum non
adferunt, nec prætendunt; idcirco non indigent miraculis, quæ per se

non possunt esse infallibile indicium divinæ missionis, aut veræ Ecclesiæ & successio- nis. Math. 24. vers. 24. Math. 7. vers. 22. 2. Thes. 2. vers. 9. Itaque non est securè & infallibiliter standum solis signis, posthabito doctrinæ examine. Esai. 8. vers. 20. 1. Cor. 14. vers. 22. Hinc Deus præcepit populo suo, non doctrinam ex miraculis, sed miracula ex doctrinâ probare. Deut. 13. vers. 1. 2. 3. Et Christus ardorem illum ac curiosita- tem reprehendit. Joh. 4. vers. 48. Math. 12. vers. 38. IV. Excommu- nicatio Reformatorum à Leone X. an: 1520. & rursum 1521. minimè ligat, ideoque ipso jure nulla, quia non fuit facta propter justas causas, pertinaciam scilicet in peccato, adversus primam & secundam legis tabulam, sed pro- pter rectam fidem & corruptionis emendationem, propter puram & salu- tarem doctrinam conversionemque à peccatis. Et hæresis quæ prætende- batur neque revera fuit, neque unquam probata est. Jam vero si causa jura & probatione deficiat, sententiæ & censure sunt nullæ, ut non nemo ex Pontificiis loquitur. Et noverant primi Reformatores (in quos excom- municationis sententia non fuit lata prius, quam causa reformationis Ec- clesiis probata, imo actualis reformatio nationalium Ecclesiarum jam pu- blicè recepta ac perfecta esset) conscientiam suam Christo & verbo ejus immobili innixam non gravari juribus illis anathematum, quæ in singula ferè momenta sæpè mutantur, contrahuntur, revocantur, ut ex factis constat, & exemplis infinitis eorum qui anathemata Pontificum spernen- tes, non tamen ut Ethnici aut publicani ab Ecclesiâ habiti sunt. Ipsi Apo- stoli Christi ἀποστασιῶσι facti, & ab ordinario concilio condemnati, non deserunt tamen ministerio suo fungi Joh. 9. vers. 22. & Act. 9. vers. 28. 29. V. Ecclesia nostra non est diversa ab antiquâ illa & Catholicâ Ecclesiâ, quæ est corpus Christi, & complementum ejus. Eph. 1. vers. 23. Col. 1. vers. 24. Unum habens Servatorem, unam & *ισχυρὴν* fidem, commu- nem salutem, communem Evangelii thesaurum, unum spiritum, unam unctionem, quâ Christo uniti bona & dona ejus participamus, atque adeo nunquam ei repudium indiximus, sed tantum particulari Romanæ factio- ni, ideoque ab Ecclesia virtuali (Papâ) & consistoriali (Cardinalibus cum Papâ ejusque satellitio jurato) secessimus. In quâ secessione non est majus peccatum quam in secessione Pauli à Synagogæ corpore, cui antea con- junctus erat, aut in secessione Eliæ & 7000. illorum, aut piorum in Judæâ à cultu idololatræ, sub Regibus Manasse, Ahas, Zedechia & aliis: ideo- que illi omnes qui corruptionis jugo adeo suaviter assueverunt, ut omni- potentia pontificiæ velificantes, tanti non faciant causam Dei, non magis nos dissolutæ unionis, violatæ caritatis insimulare possunt, quam Israëlitaë suspirantes ollas Ægypti, Mosen qui illos eduxerat, aut residues illæ tribus Barakum cum Zabulon & Nephthali. Jud. 4. vers. 10. & 5. vers. 14. 15. 16. 17. 18. 23. aut Ephraimitæ & incolæ Succot ac Penuel Gideonem cum exercitu suo, Judic. 8. vers. 1, 2, 3, 6, 7, 8, 9. aut Israëlitaë tardantes in Babel,

Babel, Esdras, Nehemiam, Zerubabel, Josuam sacerdotem, aliosque qui inde exierunt, instauraturi Ecclesiam & Rempublicam Israelis. Interea Deum supplices petimus, ut ille tanquam Ecclesie Pharus illucescat miseris illis, qui cæcâ nocte per altum pelagus jactantur & circumferuntur fluitantes quovis vento doctrinæ, quo tandem ad lucem veritatis converfi, in & cum unico capite ac radice Christo, & mystico ejus corpore seu Ecclesia, quæ fuit, quæ est, quæ erit, communionem habere queant. In quo voto finem facio.

F I N I S.

C O R O L L A R I A.

I.

Pontifex Romanus non potuit succedere Petro in eodem munere, quia Apostolus non habet successorem sui ordinis. Ut Christo succedebant Apostoli, ita Apostolis succedere Presbyteri, minore gradu majori, sic exigente ratione temporis & Ecclesia, succenturiato.

I I.

Ex presbytero sive Episcopo Apostolico, Episcopus canonicus, metropolitæ, Patriarcha, Universalis: arreptaque simul seculari dominatione, Papa factus, supraque fastigium potestatis humana cum clero suo elatus, tyrannidem usurpavit in Ecclesia, id est templo Dei.

I I I.

Quemadmodum à Tyranno constituti judices & præsides, pro legitimè constitutis habentur & ad Reip. & justitiæ ministerium tenentur, ulterius enim legitimè non constituit. Quod si in ipsius Tyranni illegitimam dominationem jurent, pro consortibus reputantur, & ab hac conspiratione citò resilientes benè faciunt. Ita se res habet in Ecclesia ministris & reformatoribus.

I V.

Postquam Ecclesia Tyrannum deposuit, perduellis est, qui ab eo ordinationem accipit. Existimamus autem partem Ecclesie Catholice sub Papatu adhuc premi, & non alia ratione legitima ibi sacramenta, legitimam vocationem esse, licet cum impuritate. Babylon perituræ adhuc populum Dei habebit. Apoc. 18. 4.



Πεγφώνησις ad ornatissimum eruditione
& moribus Virum. Juvenem.
D. R E S P O N D E N T E M.

Q Vos Styge collectis Thais Babylonia succis
Alligat in fœdum dira ministerium,
Lenones, attonsa cohors, meritoria turba,
Venales lingua, pectora casta Dei,
Quid strepitis vana jactato verberere lingua
In Christi famulos servitiumque poli?
Scilicet in cathedram nullo mandante ruebant,
Qui nitidam populis exeruere facem!
Quod vobis ordo deductus origine prima
Subdidit, illud idem jussio vestra dedit.
Laudandos igitur, qui quod mandata tenebant
Christi, quod verbum mandat Apostolicum,
Hoc solum docuere. Et sic successio sancta est
Quam vobis adimit nigra superstitio.
Hac aliena Dei Christoque Deoque rebelles
Extorres sacra vos statione facis.
Vade animo dilecte meo, quem Sarmatis ora
Doctorem genti gestit habere sua,
Legitimam cœtus cathedram monstrare renati
Vt Christi missis stet reparatus honos.

C. SCHÖTANUS S.S. Theol. Prof.

